



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Marsicanen. Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

rum memoria fore jam antiquatum, qualiter ad ejus dominationem Castrum nostrum pervenerit; & ideo non est opus insinuare quod luce clarius constat, nec unquam ab aliquo negari poterit, quod non fuerit de Comitatu Comitissæ Matildis. Sed prævalente adversus Ecclesiam Dei publica olim potestate, dominationem suam in ipso Castro Ecclesia non valuit exercere. Nunc verò, quia omnipotens Deus sic disposuit ut tempore vestro filiorum dispersiones ad sinum catholicæ matris redeant, patris imperium per omnia servaturi; hinc est quod unanimes uno voto omnes quærimus & diligenter perimus dominium vestrum, vestræque sanctitati tanto devotius fidelitatem facere cupimus, quanto indubitanter vos credimus spiritum Dei habere, atque ideo accepisse potestatem ut omnia in statum rectitudinis vestra sapientia reducat; facta in præsumptoribus vindicta, & ligatis in compedibus qui contra catholicam Romanam Ecclesiam ausi sunt minus justo pugnare. Commendamus itaque misericordie vestre Castrum, Ecclesias ipsius, clerum, & omnem populum; rogantes cum omni humilitate, quatenus ad ista, quæ postulamus, mora sublata respondere dignemini. Quod si placet delatere vestro mittere cui vestra debeamus vice intendere, illius concordie sumus & esse volumus ut facta fidelitate vobis dominationem Castri juxta vestrum mandatum assignemus; ea videlicet ratione, ut cum omni integritate tam nova quam vetera nostra jura serventur illæsa, nec aliquando imminui nobis debeant, vel in pejus aliquatenus commutari. Illud attendat sanctitas vestra, quod pro fortitudine loci multi nobiscum confœderari cupiunt; sed nulli dare responsum volumus, donec à misericordia vestra nuncium recipiamus.

MARSICANEN. EPISCOPO.

Epist. 48.
Super causa matrimonij inter B. virum & O. mulierem, quam prius desponsavit, & alia duxit postmodum in uxorem. Cap. 2. De spons. & matrim. in Tertio Cõpilat.

Significasti nobis per literas tuas quod cum B. vir O. mulierem prius carnaliter cognita desponsasset, eam postmodum non cognovit, immo ipsa ad partes alias transeunte, sibi aliam copulavit, ex qua filios & filias jam suscepit. Verum quia eadem O. ad te reversa, vel virum ipsum sibi restitui postulat, vel alij dari licentiam eõtrahendi, & tu, quid super his fieri debeat, nostris quæris literis edoce-

ri; fraternitati tuæ taliter respondemus, quod si dictus vir eam desponsavit per verba de præsentibus, ad ipsam cogendus est de jure redire. Quod si forsan in desponsatione ipsius verbis usus est de futuro; imposita utrique penitentia de fide mentita, mulieri eidem nubendi cui voluerit in Domino liberam tribuas facultatem. Datum Laterani VIII. Kalend. Martij.

ABBATI ET FRATRIBVS
S. Prosperi Reginen.

Officio nostro plurimum expedire dignoscitur conservationi Ecclesiarum, & maxime earum quæ juris beati Petri existunt, sollicita meditatione intendere; & ne jura earum diminui valeant, vel per occupationem illicitam deperire, vigilem nos convenit curam & sollicitudinem adhibere. Hac itaque ratione inducitur, & officio nostro, quo specialiter monasterio vestro, quod beati Petri juris existit, in suo jure adesse tenemur attentius, provocati, omnes alienationes, seu obligationes, quas Guido quondam ipse monasterij Abbas fecerat, irritæ sint & inane.

Officio nostro plurimum expedire dignoscitur conservationi Ecclesiarum, & maxime earum quæ juris beati Petri existunt, sollicita meditatione intendere; & ne jura earum diminui valeant, vel per occupationem illicitam deperire, vigilem nos convenit curam & sollicitudinem adhibere. Hac itaque ratione inducitur, & officio nostro, quo specialiter monasterio vestro, quod beati Petri juris existit, in suo jure adesse tenemur attentius, provocati, omnes alienationes, seu obligationes, quas Guido quondam Abbas monasterij vestri post primum juramentum, quod de non alienando in electione sua præstitit, & etiam in schismate de possessionibus prælibati monasterij quocunque titulo fecit in præjudicium ipsius Ecclesiæ, ad exemplar felicitis recordationis Alexandri, Lucij, & Cel. prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum irritas & frivolas esse decernimus, & auctoritate apostolica viribus penitus carere censemus. Datum Laterani XV. Kalend. Aprilis.

Super hoc etiam scriptum est Consulibus Reginen. ut possessionum prædictarum detentores ad restitutionem earum tradita sibi potestate compellant.

ANTIOCHEN. PATRIARCHÆ.

Cum ex illo generali privilegio, quod beato Petro & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulget, canonica postmodum manaverint instituta continentia majores Ecclesiæ causas esse ad sedem apostolicam perferendas; ac per hoc translationes Episcoporum, sicut depositiones eorum, & sedium mutationes, ad summum apostolicæ sedis antistitem de jure pertineant, nec super his præter ejus assensum ali-

Epist. 49.
Ut omnes alienationes, seu obligationes, quas Guido quondam ipse monasterij Abbas fecerat, irritæ sint & inane.

Epist. 50.
Quia Apamien. electum in Tripolitan. Ecclesiam sine licentia Domini PP. transiit, ipse à confirmatione Episcoporum à Domino PP. suspenditur quousque ab eod. liud statuat. Extrat in Tertio Collect. lib. 1. Tit. V.